



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

Dissertatio VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)



DISSERTATIO VI.

IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM.

§. I.

Origo expeditionum sacrarum.

Bella sacra per seculum XII. ac XIII. illustrem Historiæ Ecclesiasticæ partem faciunt, suntque inter præcipuas mutatæ disciplinæ causas. Illorum finem vidisti: spectemus etiam eorundem principium & progressum: Expeditionum sacrarum origo fuere peregrinationes in terram sanctam post Constantini regimen, inventam Crucem & instaurata loca sacra crebro susceptæ. Huc itum toto ex orbe Christiano pæne Imperii Romani finibus circumscripto, *3. Disc. §. 5.* *Hist. lib. XI. §. 32.* *Hist. Ecclesiast. Tom. XXI.* X plitu-

plitudo facile reddebat iter etiam ex Gal-
lia, Hispania, cæterisque regionibus re-
motissimis: & hæc libertas trecentos du-
ravit annos, licet Occidentis Imperium
corruerit; quoniam regna ex ejus fra-
gmentis erecta barbaris quidem parebant,
Christianæ tamen addicta fidei, & Rô-
manis frequentata permanferant. Ma-
gnam illam mutationem non ante septi-
mum seculum fecere victores Arabes Mu-
sulmanni a nobis religione, lingua, &
moribus diversi. Nihilominus, cum Re-
ligionis exercitium subjectis Christianis
liberum relinquerent, permittebant per-
egrinationes ac Hierosolymam versus
ipsi faciebant, quam domum sanctam vo-
cabant, & in singulari veneratione ha-
bebant.

*Hist. lib. 41.
§. 10. Añ.
SS. Bened.
to. 4. p. 502.*

Pergebant igitur Occidentis Chri-
stiani Musulmannis subditi sacra Palæsti-
næ loca visere, etsi ægrius quam antea:
restantque nobis descripta quædam eo-
rum itinera, ut illud Arculsi Episcopi Gal-
lici ab Adamnano Abbate Hibernico re-
latum exeunte seculo septimo. Hi per-
egrinatores conspectam servitutem, qua
pressi gemebant Orientis Christiani, suo
in reditu tristibus verbis depingentes ex-
ponebant, quam indigna res esset loca
sacra in potestate hostium Christiani no-
minis videre: & multa tamen secula trans-

transierunt, antequam illos liberandi gratia conatus aliquis caperetur.

Verum est: Imperatores Græci fere semper cum Musulmannis bello erant impliciti, sed ut generatim fines suos defenderent potius, quam ut speciatim Hierosolymam caperent. Gothi, Galli, Longobardi, cæterique populi Occidentis domini diu inter se & contra Græcos bella gesserant. Postea cogebantur tueri se a Musulmannis, qui modicum intra tempus longissime progressi, Hispania, magnaque Galliæ parte occupata, in Sicilia posuere sedem, unde factis in Italiam excursionibus usque ad portas Romæ veniebant. Felices sibi videbantur, qui eos propulsabant: tantum aberat, ut bellum ultra maria in patrias ipsorum terras transferrent. Carolus Magnus tam potens, tantus bellator, tanto Religionis studio ardens, Saracenis arma non intulit nisi ad confinia Hispaniæ; eos in Oriente aggredi tam parum cogitans, ut foedus semper & amicitiam foveret cum Califa Aaron, qui clavem ad sanctum Sepulchrum ipsi miserat in signum liberæ peregrinationis. Caroli Magni iter in terram sanctam est fabula post expeditiones sacras inventa.

Tandem senescente seculo undecimo Christiani Occidentis junxerunt vires ad communem contra fidei hostes expeditionem,

nem, cujus author primarius fuerat Papa Gregorius VII. vir animosus, & vastis operibus designandis natus. Postquam de Christianis per ethnicos, ac praesertim per Turcas Seliucidas, qui nuper in Asia sedem fixerant, in Oriente oppressis tristes nuncios dolens acceperat, concitatis in illos Occidentis Principibus, de quinquaginta millium exercitum, de quo securus erat, in hostes,

Hist. lib. 42.

§. 14. Greg.

l. 2. ep. 31.

ut in quadam ad Imperatorem Henricum epistola testatur, ipse volebat ducere, cum negotia propria & magis urgentia hoc ejus propositum impedierunt, post viginti annos ab Urbano II. executioni mandatum. Harum expeditionum praeludia dabantur: nam peregrinatores bene armati, magno numero & catervatim Terram sanctam adibant.

Hist. lib. 61.

§. 12.

Exemplum illustre sunt illi septies mille Germani, qui hoc iter an. 1064. facientes tam fortiter contra praedones Arabes se defendebant. Talis peregre euntium caterva erat parvus quidam exercitus, & sacri milites fuere solummodo peregrinatores congregati.

Præter præcipuas expeditionum sacrarum causas, quæ erant apertio viæ in Terram sanctam pro peregrinantibus, & Orientis Christianorum liberatio, non dubitò, quin Gregorius & Urbanus Saracenos perpetuo ab Italia prohibere, ac

in Hispania enervare cogitaverint, ubi eorum vires reapse post bella sacra semper imminutæ sunt. Denique Papa Ur-
 to 10. conc. banus in quodam sermone suo alium ma-
 p. 515. D. gni momenti finem strictim indicat; qui
 Hist. lib. 59. fuit extinctio bellorum peculiarium, qui
 S. 28. 41. bus Occidentis Domini amplius ducentis
 annis continenter sese mutuo petebant.
 Huc magis serviit militia sacra, quam *In-*
ducia Dei pluribus a conciliis sub annum
 1040 sancitæ pro suspendendis per cer-
 tos hebdomadis dies factis hostilibus. Il-
 la in ethnicos convertit vires, quas Chri-
 stiani in suas ipsorum clades consume-
 bant: eadem Nobilium nervos incidit, il-
 los ad immensos sumptus inducens: sum-
 mis interim Principibus ferendo primas,
 auctoritatem paulatim suam instauran-
 tibus.

Non video tunc quæsitum fuisse, an hoc bellum esset justum: omnes ad Or-
 tum & Occasum Christiani æqualiter id
 pro certo sumebant. Veruntamen religio-
 nis discrepantia non est sufficiens belli cau-
 sa: & S. Thomas seculo XIII, quo expedi-
 tiones sacræ frequentes etiamnum erant,
 hunc in modum scripsit: Christiani non
 debent ethnicos ad fidem amplectendam
 cogere, sed impensis viribus eos, quando
 possunt, impedire, ne religioni noceant,
 seu persuasionibus suis, seu vexationibus
 apertis. Unde Christiani, pergit, ethni-

cis sæpe arma merunt, non ut eos compellant ad recte credendum, sed ut eos inhibeant, ne fidei obstaculum ponant. Hanc ob rationem Christiani Principes omni tempore crediderunt se habere jus protegendi Christianos externos a Dominis oppressos. Ita Theodosius junior recusavit Persiæ Regi reddere Christianos Persas Romam profugos, eique bellum indixit, ut insectationem tolleret. Ex hoc genere fuit causa primæ expeditionis sacræ. Constantinopolitanus Imperator implorabat subsidium Latinorum contra formidabilem Turcarum Selinquidarum potentiam: & Orientis Christiani vehementius idem flagitabant per lamentabiles Patriarchæ Hierosolymitani litteras a Petro Eremita Urbano Papæ allatas.

Fatendum etiam bona fide, ad suscipiendas expeditiones sacras multum fecisse Christianorum alienationem a Muslimannis tanquam natione detestabili ac declaratis veræ religionis hostibus, suam ubivis terrarum per vim armorum instituere conantibus. Ne subditos quidem poterant assuefacere parendo sibi. S. Joannes Damascenus centum post annis, quam Imperium sibi vindicaverant, in eorum metropoli vivens Imperatorem Leonem Isaurum velut legitimum Principem suum alloquitur. Post annorum quin-

Sotr. VII.
hist. c. 18.
Hist. lib. 24.
§. 29. lib. 64.
§. 31.

Hist. lib. 42.
§. 19. Damasc. de
Imag. or. 2.
n. 12. to. 7.
conc. p. 170.
175. Hist. lib.
44. §. 33.

quingenta spatium Orientis Patriarchæ in suis ad septimum concilium generale epistolis pariter Imperatores Græcos agoscunt Dominos suos, & Principes Musulmannos vocant tyrannos execrabiles. Denique Christiani Hispaniæ medio seculo nono eis necdum assueverant, ut cernitur in S. Eulogio Cordubensi. Fateor, *Eulog. me-*
 me non videre hic amplius primum Chri-*mor.*
 stianismi spiritum, nec illam perfectam submissionem erga Imperatores ethnicos per tria vexationum secula. Sed facta *Vita Basil.*
 sunt certa nimium: & Christiani Princi-*u. 61. Anast.*
 pes Musulmannos bello captos non ut sim-*p. 14. Dit-*
 plices hostes tractabant: experti sunt ii, *mar. p. 96.*
 quos Imperator Basilius Macedo jugulari iussit; & illi, quos morti addixere summi Pontifices Leo IV, Joannes VII, ac Benedictus VIII.

§. II.

Plena noxarum venia.

Bellum sacrum haud solus Papa Urbanus, sed Concilium Claromontanum statuit coëuntibus toto ex Occidente Episcopis supra ducentos collectum, cui tam persuasum fuit Deum id velle, ut hoc in militarem pugnam ineuntium clamorem abierit. Grandis machina provehendæ rei & adigendis ad motum populis idonea erat plena noxarum poenarumque

condonatio tunc primum facta. Omni quidem tempore Ecclesia Episcoporum arbitrio reliquerat aliquam poenae canonicae partem remittendam pro poenitentis fervore coeterisque adjunctis: sed hactenus inauditum erat, fontem ob opus unicum expediri omnibus poenis temporalibus, quas divinae deberet justitiae. Concilio numerofo, & cui Papa per se ipsum praesideret, plane opus erat ad auctoritatem tali usitatae poenitentiae mutationi dandam: & validae hujus rationes haberi sine dubio credebantur. Amplius duobus seculis Episcopi reos poenis canonicis difficillime subjiciebant: immo pro noxarum numero multiplicatae dependi haud poterant: ideo inventa erat earum commutatio, ut integri anni paucis diebus redimi possent. A longo autem tempore inter commutationes poenarum adhiberi solebant peregrinationes Romam, Compostellam, Hierosolyman: & militia sacra belli pericula adjungebat. Hoc igitur poenitentiae genus privata cujusque poenitentis jejunia, preces ac eleemosynas exaequare, ac Ecclesiae utilius, nec Deo minus gratum esse videbatur.

Noxarum venia stipendii locum tenebat apud milites sacros: nec video in primis itineribus pecuniae collectam ad sustentandas has copias exactam fuisse.

Prima

3. *Dis. S. 3.*
hist. lib. 60.
S. 52.

Prima erat decima Saladinia ob tertiam expeditionem sacram. Sed quia culparum condonatio non alebat corpora, cruce signati vel suis sumptibus, vel ditium virorum beneficiis victuri credebantur. Tantaque in tam longum iter impensa pro magna poenitentiae parte haberi debebat. Hilariter tamen etiam his conditionibus accepta est illa indulgentia.

Nobiles, quorum plerique multorum se criminum, & inter alia expilatorum pauperum Ecclesiarumque reos se agnoscebant, se reputabant felices, quod tota poenitentia sua in solito suo artis militaris exercitio confisteret, haberentque spem obtinendae martyrii gloriae, si occumberent. Antea poenitentiae pars fuerat non gerere arma nec equum conscendere: tunc utrumque non licitum modo sed etiam imperatum erat; ita ut neutiquam vitae genus, sed sola hujus causa mutaretur. Ordo Nobilium secum rapiebat plebem, ex qua plerique erant mancipia operibus rusticis addicta, suisque Dominis prorsus obnoxia: & plurima eos sequi hoc in itinere malebant sine dubio, quam colendis domi artibus & agris occupata manere. Ita collecti sunt immensi exercitus illi, quos in historia vides. Quisquis salutem suam certam volebat reddere, sola in terram sanctam peregrinatione opus habere sibi videbatur.

Hist. lib. 64.

§. 11. 45. 46.

Can. 24.

Homines profanos sequebantur Clerici, sed alio fine; scilicet ut illis doctrinam, solatia, sacramenta præberent; non ut ipsi redimerent poenas suas. Nam secundum regulas veras poenæ canonicæ non erant statutæ pro Clericis. Si quando deliquerant, ex canone Apostolorum fatis erat eos exauthorare, & in statum laicorum redigere, non adjecta poena alia, ne dupliciter castigarentur. Fortasse tamen seculo undecimo id non tam stricte observabatur, & Clerici, quos inter nimium multi erant fontes, æque ac laici per hoc iter suas expiare noxas cupiebant. Illud certum est, quod sibi licitum putaverint gestare arma, & in hoc bello, cæterisque omnibus contra ethnicos adhibere. Vidisti Episcopos Hungariæ armatos occurrisse Tartaris, hoc regnum an. 1241 vastantibus. Seculi quinti Præfules non sic agebant: Papa S. Leo, & S. Lupus Episcopus Trecensis Attilam non nisi precibus & rationibus suis cohibere: & qui barbarorum sævitiam suavibus verbis coercere non poterant, necari se patiebantur, ut S. Nicæsius Remensis, & S. Privatus Gavalданus; quorum agendi rationem Ecclesia sic probabat, ut eos Martyribus annumeraret.

*Hist. lib. 81.
§. 48.**Hist. lib. 28.
§. 39. lib. 27.
§. 49.**Martyr. 14.
Dec. 21. Aug.*

Ipsi monachi & Abbates sacram inire militiam, etsi hæc pietas eos plusquam cæteros a vitæ gradu divinitus ipsis alligato,

gnato, qui erat secessus & solitudo, removeret. Memoravi suo loco, S. Gregorium Nyssenum solitario Cappadociae homini se consulenti iter Hierosolymam versus omnino dissuasisse, tametsi de simplici tantum peregrinatione ageretur. Legisti, quomodo S. Bernardus Arnulpho Abbati Morimundano indutam sacrae militiae crucem exprobraverit; & qua constantia ipse renuerit secundam expeditionem facram ducere: & tamen illi, quae tempore Innocentii III. facta est, aliquos ejusdem Cisterciensium Ordinis Abbates interfuisse comperimus. Deerant officiis, quae ipsa instituti sui natura ab eis postulabat: eorum coenobia non melius regerantur: & in reditu suo nec ipsi, nec monachi eos secuti majoris disciplinae spiritum referebant. Idem secundum proportionem de Episcopis eorumque Clero dixerim.

*Greg. de
Eunt. Hier.
Hist. lib. 17.
§. 47.
S. Bern. ep. 7
Ep. 256.*

*Hist. lib. 69.
§. 14.*

Villehard.

§. III.

Errata in executione sacrae militiae.

Cum collecti exercitus ad primam expeditionem sacram procederent, executio haud respondit Papae Urbani & Concilii Claromontani intentionibus. Modica disciplina in majore copiarum parte, minor in illis erat, quae voluntariis ex militibus

militibus variarum gentium compositæ
 Duces habebant aliis non subjectos, ne-
 mine universalis imperii summam tenen-
 te, nisi forsitan Papæ Legato talibus co-
 piis, in officio continendis parum idoneo.
 Quocirca factis hostilibus in terras ethni-
 corum minime dilatis, quacunque trans-
 ibant, faciebant prædas & incendia apud
 Hungaros, Bulgaros, Græcos, quanquam
 Christianos omnes, cadebatque ferro,
 quisquis ipsorum vim reprimere volebat.
 Sic velitando amissis plurimis eorum nu-
 merus haud parum decreverat, cum in
 Asiam advenerunt. Imperator Alexius
 tunc temporis regnans, qui cum Rober-
 to Guiscardo Apuliæ Duce dissidia magna
 suo damno habuerat, cum Boamundum
 ejus filium media in Græcia formidabilis
 exercitus Ducem videret, se perditum
 putavit, haud dubitans, quin hic creditus
 peregrinator ad ipsius coronam aspiraret.
 Unde non mirum, si cruce signatis pro vi-
 ribus nocuit, & in virium supplementum
 fallacias pro suæ nationis genio contra
 eos adhibuit.

Nostros de statu regionis, quam im-
 pugnatum ibant, male informatos fuisse
 videmus ex gestorum relationibus, ubi
 locorum, populorum, Principum nomina
 vehementer deformata sunt. Non vi-
 dentur certas tenuisse semitas: cogeban-
 tur sibi asciscere viarum duces ex indige-
 nis,

nis, hoc est, fidei hostium se committere, *Hist. lib. 69.*
 a quibus sæpe data opera in errores ab-*S. 28.*
 ducebantur, ut sine prælio perirent, si-
 cut in altera expeditione factum. In
 primo itinere captas urbes varias, Niceam,
 Antiochiam, Edeffam tuendi causa divi-
 dendo copias minuebant vires, quas u-
 niversas expugnandæ Hierosolymæ, quæ
 expeditionis scopus erat, reservare debe-
 bant. Sed diversi Duces privatos sibi
 fines præstituerant: & rerum gerenda-
 rum peritissimus inter omnes erat Nor-
 mannus Boamundus, qui Antiochiam
 sibi petiit, & obtinuit, amplificandæ for-
 tunæ suæ, ut conjicere licet, quam pro-
 movendæ religionis studiosior.

Tandem Hierosolymam delati, obses-
 sam occuparunt per miraculum: non e-
 nim humanæ sed divinæ virtuti tribuen-
 dus erat tam faustus tot inter obstacula
 eventus rei tam male gestæ. Forsan
 hunc Deus quibusdam probis Equitibus
 dedit, hanc molitionem vero religionis
 spiritu aggressis, velut Godefrido Bullio-
 nio, cujus pietatem & candorem æque *Hist. lib. 74.*
 ac fortitudinem coævi laudant historici. *S. 66.*

At Christiani hanc victoriam maculabant
 per modum, quo ea utebantur, dum tru-
 cidatis Musulmannis omnibus urbem
 cruore & cadaveribus replebant. Num
 ergo sperabant fore, ut eos delerent stir-
 pitus, & abolerent hanc sectam una cum
 amplo

amplo illo Imperio ab Hispania usque ad
 Indias extenso? Et qualem Christianæ
 religionis ideam præbebant ethnicis?
 Non Evangelio magis fuisset consenta-
 neum leniter ac humaniter cum eis age-
 re, & bello parta libertatemque peregrina-
 tionis ad loca sancta firmando conten-
 tum esse? Talis moderatio stabiliisset
 quietem veterum regionis Christianorum,
 recentium advenarum dominationem
 reddidisset amabilem, & quosdam ethni-
 cos Christo adjunxisset. Saladinus re-
 cepta Hierosolyma aliam agendi ratio-
 nem, quæ Christianos melius decuisset,
 iniit, eisque patrum sævitiam exprobrare
 perbene scivit.

*Hist. lib. 74.
 §. 11.*

Sed præterea quis fructus erat hujus
 expeditionis, quæ Europam omnem la-
 befecerat exhausteratque? Novum Hiero-
 solymæ regnum bono Godefrido dela-
 tum, quia id maximi Principes belli sa-
 cri abnuerant, persoluto voto suam quis-
 que domum redire properantes. Vix
 autem historia exemplum dabit minoris
 regni, sive temporis, quo duravit, sive
 terræ spatium spectemus. Nam ultra o-
 ctoginta annos haud stetit, ac præter
 Hierosolymam tantum modo paucos cir-
 cum eandem pagos comprehendebat.
 Hæc ipsa loca Musulmanni incolebant vel
 Christiani Francis parum benevoli. Sic
 novus Rex pro subditis solum habere po-
 terat

terat modicas militum sacrorum reliquias, nimirum equites trecentos ac bis mille pedites. Vide, quo reciderit res per historicos ac poëtas tantis elata præconiis! Mirissimum sane, ejus conservandæ aut instaurandæ propositum ducentos annos durasse.

§. IV.

Horum moliminum incitamenta.

Sed nempe summi Pontifices ac illi, qui eorum jussu sacræ militiæ classicum canebant, non cessabant Ordini Nobilium & populis eam proponere velut causam Dei, optimamque salutis in tuto collocandæ viam. Oportet, inquebant, vindicare ignominiam Christo impositam, & terram, quæ hæreditas ejus est, quam proprii cruoris pretio acquisitam populo promisit suo, e manibus ethnicorum eripere. Suam pro vobis vitam posuit: nonne par est, ut vestram pro eo detis? Potestisne quieti vestris in domibus hærrere, dum hostes ejus sanctissimum nomen linguis scelestis violant; ejus templum & loca, quæ præsentia honoravit sua, per abominandum Mahometis cultum profanant, insultantque Christianis, qui non audeant ipsos inde depellere? Quid respondebitis Deo in die judicii, quando gloriam suam deliciis privatisque

com-

commodis vestris posthabitam, & tam facilem expiandi noxas, & martyrii coronam obtinendi modum despiciatui ductum vobis exprobrabit? En ea, quæ summi Pontifices in epistolis suis, & sacri Oratores in suggestibus verbis ad motum appositissimis efferebant.

Hodie, dum hanc ad materiam sanguis non exæstuat, & tranquillis eam mentibus consideramus, his in sermonibus nec soliditatem, nec accuratam ratiocinationem invenimus. Ulciscenda Christi injuria dicebatur. Sed id, quod eum vere offendit, læditque, multo magis est vita corrupta pravorum Christianorum, quales erant plerique cruce signati, quam profanatio rerum sensu carentium, sacrarum illi domuum, locorumque nobis in memoriam revocantium ea, quæ pro nobis pertulit. Quantacunque veneratio his sanctis locis debeatur, ejus religio his affixa non est: ut ipse declaravit, cum diceret, venisse tempus adorandi Deum non in Samaria, nec Hierosolymæ, sed ubique in spiritu ac veritate. Nempe ab hac adhæsione ad locum certum ac templum e materia factum Judæos avocaturus Hierosolymam everti voluit, nec permisit unquam, ut templum reædificaretur.

Dictum ambiguum est Palæstinam vocare hæreditatem Domini, & terram populo

Joan. 4. v. 21

pulo ejus promissam. Enunciationes istæ in sensu proprio & litterario foli legi veteri conveniebant, nec novæ applicari possunt præterquam in sensu figurato. Hæreditas, quam Christus suo sibi sanguine acquisivit, est ejus Ecclesia cunctis ex gentibus collecta: & terra, quam huic spondit, est patria cœlestis. Debemus esse parati ad ponendam pro eo vitam: sed hoc est sufferre omnia vexationum ac tormentorum genera, mortemque ipsam potius, quam ab eo desciscere, & gratiam ejus perdere. Haud jussit nos exponere vitam invadendo ethnicos armata manu: atque si martyres nuncupare licet illos, qui cum ethnicis pugnantes ceciderunt, id de bello solius religionis causa suscepto est intelligendum. Ab eo tempore, quo Musulmani Palæstina potiti sunt, quingenti & plures anni abierant usque ad primam expeditionem sacram: nec video, religioni Christianæ generatim id gravi damno fuisse, aut eam postea floruisse pulchrius. Demum, quæ principibus viris bellum sacrum non ineuntibus objecta sunt, cadebant etiam in antecessores eorum, atque in reliquos Principes religionis studiosissimos.

Altera expeditio sacra ducibus Rege Ludovico Juniore ac Conrado Germaniæ Rege talem eventum habuit, ut S. Bernardus, qui eam populis suaserat, de vi-

Hist. Eccles. Tom. XXI.

Y tupe-

Hist. lib. 69.
§. 28. 29.

Hist. lib. 65.
§. 45.

tuperiis sibi per eandem accitis purgare se cogeret. Exercitus Regis Conradi sine prælio in Anatolia Græcorum proditione periit. An vero satis admirari possumus hujus Principis simplicitatem Imperatori Manuelli fidentis post experientiam expeditionis primæ, quam avus ejus Alexius inanem reddere tentaverat? Hanc inter & illam nondum intercesserant anni quinquaginta, eædemque diffidentiae rationes aderant: Græci Latinos ad suum Imperium aspirare semper putabant: & illud, quod post annos quinquaginta in quarta expeditione factum est, illorum suspiciones nimium comprobavit.

§. V.

Incommoda ex Constantinopolis expugnatione.

Villek. n. 17. Loquor de illa, quam Galli per Venetos ad invadendam primum Zaram in Dalmatia sitam, dein Constantinopolim, ut juvenem Imperatorem Alexium in ipsius sedem restituerent, abrepti, sub obtentu puniendæ perfidiæ a Murzufa hunc in Principem commissæ tandem effectam dederunt: hanc enim rationem eis proponebant Episcopi comites sui affirmando, talium authores cædium nullum habere jus possidendi regna. Et Principes
cruce

cruce signati tam parum sagaces erant, ut non viderent, quam periculosaē consecutiones ex hoc falso principio contra se ipsos deduci possent. Papa Innocentius *Hist. lib. 75.*
 III. initio omnem impendit operam, ut eos *§. 51 Gest.*
 a suscepto consilio dimoveret. Exposuit *Inn. n. 89.*
 eis, ipsos sumpsisse arma contra ethnicos, non contra Christianos; & ipsorum non esse ulcisci injurias Imperatori Isaaco, aut filio ejus Alexio factas. Monitis censuras subjungens contumaces proscripsit.

At denique rei successu captus, cum *Hist. lib. 76.*
 Latinos Constantinopoli potitos sciret, *§. 13.*
 Deum ab eis stare, idque sic declarasse credit. Duæ speciosæ rationes eum *Gest. n. 94.*
 decipiebant, facilitas subveniendi terræ sanctæ, ac spes reducendi Græcos ad Romanam Ecclesiam. Erant, qui dicerent: Hi sunt Græci, quorum perfidia & proditio- nes maxime obstiterunt hactenus, ne bella sacra bene succederent. Quando eorum Imperium subegerimus, iter in Terram sanctam facile ac tutum erit, cui propius semper propiusque succurremus. Alii ajebant: Isti sunt schismatici obstinati, Ecclesiæ filii per plura sæcula rebelles, qui castigari merentur. Nostrorum fir- morum metus eos reducit ad officium: bene est: sin minus: exterminari debent, ac regio Catholicis est frequentanda. Sed utraque ratiocinatio fallax erat: Constan- tinopolis expugnatio terræ sanctæ jactu-
 ram

ram creavit, & Græcorum schisma immortale reddidit. Hæc oportet exponere.

Et primum quidem Constantinopolis conservatio nova bellandi causa est facta, divisitque vires sustinendo in Syria bello jam impares præsertim post amissam Hierosolymam. Interea milites sacri adire Romaniam malebant, regionis propinquitate pariter ac bonitate allekti. Catervatim eo currebant; ibique brevi præter Imperium recentes conspecti sunt dominatus, scilicet quoddam regnum Thessalonicense, ac quidam principatus Achæus. Ibidem novi etiam hostes præter Græcos impugnandi erant, Bulgari, Valachi, Comani, Hungari. Sic Latinis, qui sedem in Romania posuerant, domi suæ sat occupatis non vacabat de terra sancta cogitare. Inclamabant continenter auxilium, & quotquot poterant, cruce signatos attrahebant. Sed irritò eorum omniconatu Constantinopoleos quam Hierosolymæ possessio fragilior, nec annos sexaginta penes Latinos fuit; & in mali cumulum tum per se, tum per bella, quæ suscitavit, Imperium Græcum ita concussit, ut Turcis occasionem daret, id post ducentos annos funditus evertendi. Schisma vero Græcorum sempiternum effecit: tantum aberat, ut id tolleret; quod alibi monstrare me posse credo.

§. VI.

Expeditiones sacræ multiplicatæ.

Noxarum condonatio primum pro sacris expeditionibus facta, cum ad Romaniam Imperium adversus Græcos schismaticos tuendum ampliata esset, brevi in bella omnia, quæ ad religionem magni ponderis esse videbantur, extensa fuit. Summi Pontifices eandem faciebant Hispanis in Mauros euntibus, exterisque illos juvantibus. Et vero semper id erat Christianos ethnicorum jugo liberare, horumque vires minuere. Hinc natæ sunt victoriæ grandes Jacobi Arragoniæ sanctique Ferdinandi Castiliæ Regum, tot arces, urbesque ac provincias occupantium, exempla tam gloriosa ita sequentibus posteris, ut denique Mauros ex omni Hispania exterminarent. Eodem tempore in Germania sacrum canebatur bellicum contra ethnicos Borussiam, Livoniæque ac vicinarum regionum, tum ne molestias novis Christianis facerent, tum ut ipsi transfirent ad Christum. Alii *Hist. lib. 80. §. 43.* sacrorum pugilum adversarii erant hæretici, ut Albigenses in Francia, in Germania Stadingi, cæterique. Demum collecti sunt sacræ crucis milites contra Principes in Ecclesiam rebelles, & ab ea proscriptos, quales erant Imperator Fridericus

cus II, ac filius ejus Manfredus. Et quia summi Pontifices Ecclesiæ hostes vocabant omnes illos, quibuscum controversiam habebant aliquam etiam temporalia ob commoda, contra hos sacrum pariter bellum edicebant, ultimum suum adversus Principes sibi obstantes perfugium.

Tam multæ vero expeditiones sacræ officiebant sibi mutuo: cruce signati tot diversa in corpora dispersi nihil magni præstare poterant: & hæc fuit causa præcipua amissæ terræ sanctæ. Hispani, Germanique noxarum veniam in patria, quam foris obtinere, Pontifices Maximum in Italia statum temporalem, quam regnum Hierosolymitanum conservare, ac Fridericum Manfredumque, quam Sultanos Syriam ac Ægyptium pessundare malebant. Sic subsidia, quæ in Oriente Christiani expectabant, ducebantur alio, vel retardabantur; & expeditionum multitudo illam molitionem, quæ unicus eorum scopus erat, irritam fecit. Immo etiam in contemptum eas adduxit: tantumque aberat, ut, qui eas e pulpitis suadebant, benevolis, sicut antea, uterentur auribus, ut opus esset singulis auditoribus aliquot dierum annorumve indulgentiam polliceri.

Plenæ autem indulgentiæ extensio etiam militiæ sacræ obfuit. Primum illa promissa est iis, qui caperent arma,
Terram.

Terramque sanctam ipsi peterent. Deinde non illa privandi videbantur, qui, cum per se ipsos militare haud possent, ad bonum rei successum conferrent aliquid; senes, infirmi, foeminae ad sustentandum sacrae crucis exercitum bonorum partem contribuentes. Tum ad omnes illos, qui ad sumptus belli sacri pecunias largirentur, ampliata est inita proportione summæ, quam darent seu in vita, seu per testamentum. Cruce signati propter obstaculum superveniens voto Superis reddendo impares hujus religione solvebantur ob similem stipem, & interdum sine gravi causa. Omnes hæ largitiones magnas pecuniarum summas conficiebant, tradebanturque Quæstoribus Pontificiis, seu Equites Templarii, seu Fratres Mendicantes, alii-ve fuerint, insimulati quandoque, quod hoc munere haud fideliter fungerentur.

§. VII.

Decimæ aliæque collectæ.

Verum hæ ultroneæ pensiones erant fortuitæ: ac experientia docuit, pecuniis certis opus esse ad alendos milites sacros, quorum pars major suis sumptibus militando non erat. Cum proin ad exactiones ventum esset, quia hujus belli scopus erat defensio religionis, sumptus e bonis Deo sacris, hoc est, e proventibus

Hist. lib. 74.
§. 15.

Petr. epist. I.
12.

ecclesiasticis petendi videbantur. Prima hujus generis collecta fuit decima Saladinia ob amissam Hierosolymam. Viri sapientes prævidebant consecutiones ejus: atque legisti, quanto robore Petrus Blesensis impugnaverit hanc rem novam libertati clericorum, bonorumque ecclesiasticorum immunitati tam noxiam. Revera ex hac tertia expeditione captum est exemplum in reliquis omnibus, sive ob terram sanctam, sive alia de causa susceptis: dum summi Pontifices de cunctis bonis ecclesiasticis statuendi jus sibi vendicantes, modo vigesimam, modo decimam, aut etiam quintam eorum partem a Clero tum ob bella sacra, tum propter peculiaria Ecclesiae Romanæ negotia poscebant, Regesque suis rationibus consulentes in hujusmodi collectarum partem quandoque vocabant. Audivimus Cleri Gallici Anglicique hac de re querimonias.

§. VIII.

Negotia summorum Pontificum negotiis addita.

Hæ collectæ modica duntaxat pars fuerit negotiorum temporalium Papæ sacris e bellis provenientium, quorum primus nunquam non motor erat: hæc enim bella, quanquam religionis studio facta,

facta, in executione a bellis aliis non discrepabant. Oportebat semper conducere copias, earum victui providere, eis Duces præficere, eas ad profectiorem adigere, eis viam præscribere, ex quo tempore itineri marino committuntur, navibus imponendas curare, munire loca, eis annonam & instrumenta bellica immittere, cæteraque necessaria præparare. Papa erat is, qui molimina præfiniebat; qui statuebat de rebus bello partis; qui pacis aut induciarum foedera habebat rata; & quia milites sacros ducere per se non poterat, semper in quovis exercitu erat Legatus quidam, plerumque Cardinalis, munitus potestate amplissima, & cunctis Ducibus præfectus, velut summus Imperator aliquis. Sed hanc ei authoritatem tribuens Papa non simul dexteritatem ad regendum exercitum dabat; nec raro Duces militares alia, quam ipse, belli exequendi consilia agitabant: unde dissidia inter eos, sicut inter Legatum Pelagium ac Regem Hierosolymitanum, enata sunt.

Sæpe accidebat, ut Princeps aliquis *Hist. lib. 78.*
 sacram amplexus militiam postquam se *§. 15.*
 certo die profecturum juraverat, suum
 differret iter, seu per levitatem voti pœnitentia ductus, seu illi domi suæ res urgentiores supervenerint, velut subditorum seditio, aut propinqui Principis aggressio.

Hist. lib. 78.

§. 41.

Lib. 79 §. 36.

Tum ad Papam debebat confugere, ut juramenti religione solveretur, ac prorogationem diei obtineret. Si Principis cruce signati rationes Papæ non probabantur, hic ecclesiasticas ei censuras irrogabat. Talis fuit origo pervulgatæ inter Papam Gregorium IX. & Imperatorem Fridericum II. controversiæ, quæ huic Principi, ejusque generi cladem ac civit, Germaniam triginta annorum anarchiæ, Italiamque dissidiis immerfit, e quibus se non erexit. Talis etiam fuit causa discordiæ inter Bonifacium VIII. ac Philippum pulchrum, in tam impotentes furoris impetus effusæ, & cujus finis huic Papæ tam funestus fuit.

Princeps tesseraria indutus cruce dicebat in his casibus: *Perolvere votum meum cogito: sed volo prius regnum meum securum reddere, edomare rebelles subditos, vel istum Principem vicinum meum armis exuere, qui absentiam meam in rem suam verteret. Papa reponebat: Bellum sacrum est commune religionis negotium cunctis commodis peculiaribus anteponendum. Controversias tuas mihi committe! Ut Judex vel arbiter, quod tuum est, addicam tibi. Tanquam cruce signatum Ecclesia Romana singulari te præsidio fovet. Quisquis in tua absentis bona involaverit, eum declarabit hostem suum.*

Recen-

Recentes in Oriente Domini, velut Rex Hierosolymæ, Princeps Antiochenus, Comes Tripolitanus summos Pontifices eo pluribus implicabant negotiis, quod eorum inter se dissensiones, & cum ethnicis agendi ratio ad conservandam Palæstinam proxime pertinerent. Adde causas Episcoporum Latinorum, qui sedes in his provinciis subactis posuerant! & agnosces, solam militiam sacram & consecutiones ejus summis Pontificibus plura creasse negotia, quam Principes maximi habeant. Et res terræ sanctæ ita illis curæ cordique erant, ut pluribus dolor de malo earum eventu vitam auferret.

§. IX.

Latinus Orientis Clerus.

Latinus in Oriente Clerus singularem meretur attentionem. Vidimus post expugnatam Antiochiam, Hierosolymam, cæterasque urbes mox ibi Patriarchas Episcoposque Latinos fuisse constitutos: idem Constantinopoli, cum capta esset, actum. Fateor, linguæ ac ritus diversitatem adegisse Latinos, ut peculiarem sibi Clerum instituerent. At nescio, an ita properandum, & adeo multiplicandi fuerint Episcopi pro Latinis, quorum tam parvus erat numerus. Nonne Patriarcha

*Hist. lib. 64.
§. 58. 67.*

cha

cha Hierosolymitanus exempli gratia facile gubernasset Ecclesiam Bethlehemiticam tantum sexies mille passibus distantem? Crucesignati auxilio venerant veteribus provinciæ Christianis Syris, Armenis, aliisque, qui cuncti suos habebant Episcopos longam per successionem stabilitos. Interea nostris in historiis modicam mentionem de his misellis Christianis ac eorum Episcopis invenio, nisi dum de Latinis conqueruntur. Sic per speciem liberationis a jugo Musulmannico nova illis servitus est imposita.

Hi Episcopi Latini ante omnia curabant, ut suas Ecclesias temporalibus bonis bene instruerent, iisque pro more, quem esse cis mare noverant, ditiones, urbes, arcesque acquirerent; quas conservare non minus studebant. Vix etiam sedes locaverant suas, cum magnas profanis cum Dominis contentiones habere, veluti Hierosolymæ Patriarcha cum Rege ob urbis dominium. Nec levius de jurisdictione spirituali disceptabant tum inter se, tum cum Equitibus Ordinum militarium, privilegia sua tuendi studiosissimis. Ut omnes hæc lites dirimerentur, oportebat Romam confugere, quam Patriarchæ ipsi sæpe adire per se cogebantur: quanta horum Præsulum a suis disjunctio! quanta accessio ad negotia summorum Pontificum! Sed quanta offensio veterum

*Hist. lib. 64.
§. 67.*

veterum Christianorum Orientis, ac ethnicorum!

Secundum spiritum Evangelii Latinus hic Clerus debebat operam præcipuam dare erudiendis corrigendisque militibus sacris, & formando quasi novo Christianismo, qui, quam posset, proxime accederet ad puritatem primorum seculorum, ethnicosque, quibus cincti erant, exemplo bono ad se attraheret. Deinde hic Clerus hæreticis schismaticisque Ecclesiæ reconciliandis ac ipsis ethnicis ad Christum adducendis impendere studium suum poterat: hæc erat ratio utilem reddendi militiam sacram. At noster Clerus Latinus nimium hebes erat, quam ut tam pura & tam magna agitaret consilia: qualis cis mare fuerat, talis erat in Palæstina, aut etiam rudior, corruptiorque testibus duobus Patriarchis Radulpho Antiocheno, & Arnulpho Hierosolymitano, cui agnomen erat Mala-Corona.

*Hist. lib. 66.
§. 17. lib. 68.
§. 53.*

Amiffa Hierosolyma Patriarcha cum Rege Ptolemaidem profugus ibi sedem tenuit usque ad jacturam totius Palæstinæ: & quamvis tunc solum Patriarchæ titulum haberet, servabat hunc tamen merito, quamdiu recuperandæ Hierosolymæ spes erat. Idem agebant Patriarchæ Antiochenus & Constantinopolitanus, cæterique Græciæ ac Orientis Episcopi Latini. Sed postquam cessatum est a bellis

bellis sacris, nec sperari prudenter potuit, his Præfulibus Ecclesias suas restitutum iri, non amplius illis dandi successores, nec hi vani tituli perpetuandi fuisse videntur, ac eo minus quidem, quia hic mos Græcos cæterosque schismaticos a reditu ad Ecclesiam magis semper magisque avocat Romanam curiam videntes plenam horum Episcoporum *in partibus*, munera cum dignitate sua parum commensa obeuntium.

§. X.

Ordines Militares.

Post Clerum consideremus Ordines Militares, novum Religiosorum genus antiquitati incognitum. Usque ad seculum duodecimum satis habebatur armorum professionem Christianis permis-
sam, nec salutem contrariam credere: at nemini venerat in mentem illam in statum perfectionis vertere, eique tria vota, quæ vitæ religiosæ natura postulat, adjungere. Revera horum votorum observatio contra communes per vitam tentationes magnas cautiones exigit; solitudinem aut saltem recessum peccati occasiones vitandi gratia; collectionem mentis, meditationem veritatum æternarum, ac preces crebras ad consequendam tranquillitatem animæ, cordisque puritatem. Sed
per-

perquam difficile videtur hæc exercitia
 conjungere cum vita militari, quæ mera
 est actio, merusque motus, ac tentationi-
 bus periculosissimis, aut saltem violentis-
 simis perturbationibus exponit animum.

Idcirco bellatoribus præ hominibus
 reliquis opus esset legendo, colloquendo,
 lectaque & audita considerando ingenium
 excolere. Quemadmodum illos natura
 animosos & impavidos credo, bonus ra-
 tionis usus eis plusquam aliis est neces-
 sarius, ut suam bene impendant auda-
 ciam, & justos intra limites contineant.

Generositas sola brutos facit: ratio sola
 non facit fortes: altera alterius ope in-
 digent. Veteres autem Equites nostri
 erant illiterati, ac plerique ne legere qui-
 dem sciebant. Unde factum, ut commu-
 nis Templariorum precatio in sola præ-
 sentia ad officium a Clericis suis canta-
 tum consisteret. Dubito, an præterea
 satis caverint a tentationibus, quæ ab u-
 su armorum abesse nequeunt; & an in
 præliis ipsis tam sibi præsentibus fuerint,
 ut nec ira, nec odio, nec vindictæ deside-
 rio, nec ulla animi motione humanitati
 & justitiæ contraria se abripi paterentur.

Secundum veterem Ecclesiæ disciplinam
 quoddam poenitentiae genus suadebatur
 illis, qui vel æquissimis in bellis quenquam
 occiderant: videmusque aliquas hujus
 discipli-

V. Platon.

Rep. lib. 2.

p. 375. edit.

Serr.

Reg. to. X.

con. p. 923.

Hist. lib. 86.

§. 55.

S. Basil. I.

ad Amph.

c. 13.

Hist. lib. 48.

§. 9.

discipli-

disciplinæ reliquias post pugnam Fontaniacensem an. 841.

*Hist. lib. 73.
S. 21. lib. 83.
S. 18.*

Crediderim, Templarios cæterosque Ordinum militarium Equites magna virtutis exempla edidisse in primo fervore suo. Sed fatendum est, hunc remisisse brevi, gravesque de illis querimonias ab exitu seculi XII. paulo post eorum institutionem jactatas esse. Cæperant privilegiis abuti suis, hæc infinite extendere, Episcopos, quorum legibus exempti erant, spernere, Papæ ipsi, nonnisi quantum libebat, obedire, pacta cum ethnicis confecta negligere, quandoque cum eis Christianos prodendi causa colludere, multi corruptam & mali exempli vitam ducere. Denique illorum crimina usque adeo creverunt, ut generale concilium Viennense eorundem institutum ante ducentimum hujus annum completum abolere cogeretur: & facinora, de quibus accusati fuere, tam atrocia sunt, ut sine horrore legi nequeant, ac ægerrime credantur, quanquam ex testimoniis fide dignis comperta.

Quod ad Ordines militares, qui etiamnum existunt, attinet, Ecclesiæ, quæ illos approbavit, auctoritatem, ac plurimum cuiusque corporis membrorum virtutem veneror: quosdam Equites Melitenses magnam perfectionem exercere nostra ætate vidimus. Sed cuiusque conscientia

tiæ relinquo statuendum, an vivat ut verus Religiosus, ac fideliter suam observet regulam. Illos primum, qui hoc vitæ genus amplectuntur, dein parentes, qui filios suos ad idem inducunt, precor, ut non sine magna rei cognitione id faciant, nec aliorum exemplo se trahi patiantur; & attente coram Deo considerent, quænam onera huic statui sint annexa ex intentione Ecclesiæ, non secundum disciplinæ remissionem, quam tolerat; ac præcipue, quibus ex rationibus huic Ordini dent nomen, an ut æternæ salutis suæ consulant, & ad Christianam perfectionem tendant, vel ut temporalia Ordinis bona participent, ac equestria obtineant beneficia: nam summa perversitas est paupertatis votum nuncupare tanquam viam suo tempore acquirendi divitias.

§. XI.

Pœnitentiæ intermissio.

Ex omnibus expeditionum sacrarum consecutionibus perniciosissima religioni fuit cessatio pœnitentiæ canonicæ. Cessatio, inquam, non abrogatio: nam nullius unquam Papæ vel concilii constitutio illam expresse abolevit: nec ulla, quam sciam, deliberatio unquam hac de materia fuit inita: nunquam dictum est: Postquam veteris disciplinæ hujus rationes

nes ac effectus, quos, quamdiu exercita est, produxit, sedulo examinavimus, in ea plus inconvenientiæ quam utilitatis invenientes, bene perpensis omnibus rei momentis fatius esse duximus pœnitentiam deinceps arcanorum Judicum arbitrio relinquere. Nihil simile per totam historiæ seriem legi. Pœnitentia Canonica sensim sine sensu defluxit per imbecillitatem Episcoporum, ac duritatem fontium, per negligentiam, per ignorantiam: sed ictum fatalem, ut sic loquar, accepit per indulgentiam ob bella sacra concessam.

*Hist. lib. 69.
§. 14.*

Scio hanc intentionem non fuisse Urbani Papæ concillique Cleromontani. Credebant de eadem fidelia duos dealbari parietes; liberari loca sancta, & facilem reddi pœnitentiam reis innumeris

*Ep. 365. al.
312. Innoc.
III. lib. 16.
ep. 28.*

eam alioqui nunquam acturis. Hoc expresse S. Bernardus, hoc Papa Innocentius III. dixit: & ambo diserte extollunt bonitatem Dei ipsorum tempore hanc hominibus dantis occasionem resipiscendi, & hanc novam suæ justitiæ satisfaciendæ viam. At metuo, ut satis expensæ fuerint solidæ rationes antiquorum Canonum pœnitentiæ tempus ac exercitia præscriptorum. Sancti illorum authores non modo reos punire, sed præcipue se de horum reditu in viam rectam securos reddere, novosque eorum lapsus præcavere volebant. Itaque primum sejuncti a
Chri-

*v. 2. Diff.
§. 8.*

Christianis reliquis per totum pœnitentiæ suæ tempus inclusi tenebantur, nisi quando in templo ad preces communes informationesque debebant assistere. Sic remotis peccandi occasionibus hoc in secessu collectio animi pœnitentibus commoditatem ac spatium dabat serio considerandi atrocitatem peccati, severitatem divinæ justitiæ, pœnas æternas, cæterasque veritates terribiles, quas Sacerdotes eorum curam gerentes ipsis ob oculos ponebant, ut verum de peccatis dolorem elicerent. Dein solatia eis, animosque addebant & paulatim eos confirmabant in proposito peccatum perpetuo fugiendi novamque ducendi vitam.

Octavo demum seculo in satisfactio-
nis locum peregrinationes suffectæ sunt, quæ per evagationes mentium & relabendi occasiones pœnitentiam evertere cœperunt. Attamen hæc privatæ perfectiones haud paulo minus periculum creabant, quam expeditiones sacræ. Pœnitens cum solus aut cum alio pœnitente iter faceret, certam tenere regulam, jejunium, vel saltem frugalitatem colere, silentio & colligendo animo suas dare horas, canere Psalmos, se piis cogitationibus occupare, boni exempli colloquia habere poterat. Sed hæc pietatis exercitia non conveniebant copiis in exercitum congregatis. E contrario sacri

Z 2

pugi-

*Morin. lib. 7.
c. 15.*

Hist. lib. 69. pugiles, saltem aliqui, relaxabant ani-
S. 11. Eug. mos, canesque ac volucres habebant fe-
III. ep. 1. t. cum, ut inter viam venationi darent o-
X. Conc. p. peram: sicut docet ejus inhibitio facta
 1047. in secunda expeditione sacra.

Erant, ut ita loquar, peccatores om-
 nino crudi, qui sine conversione cordis
 ad Deum, sine præparatione, excepta
 forsitan confessione tepida, ut noxas suas
 expiarent, se novas committendi occa-
 sionibus periculosissimis expositumabant.
 Viri ex hominibus compertissimæ virtu-
 tis selecti in ejusmodi profectionibus æ-
Joinv. p. 22. gre mores servassent suos. Verum est,
 quosdam ibi serio sese parasse ad mortem
 solvendo debita, restituendo bona male
 parta, læsis omnibus faciendo fatis. Sed
 fatendum pariter, militiam sacram servasse
 hominibus obæratīs ad prætexendam
 causam non expungendi nomina, facinoro-
 sis ad evitandas criminum suorum pœnas,
 monachis disciplinæ impatientibus ad re-
 linquenda sua cœnobia, sceminis profliga-
 tissimis ad continuandam liberius inconti-
Joinv. p. 23. nentiam: nam aliquæ comitabantur has
 copias, & nonnullæ virili sub vestitu. Ut
 legisti in exercitu ipsius S. Ludovici, in
 castrensi ejus parte ac prope tentoria ejus
 deprehensa est officina nequitiae, quæ
Faucher Poe- Regem cogebat severitatis exemplum sta-
te Fr. n. 2. tuere. Poëta illius temporis descripsit
 6. 17. historiam Castellani Judicis Cociacensis,
 qui

qui ad bellum sacrum abiit deperiens uxorem nobilis in vicinia viri, hoc est, adulterium in corde gerens: atque in via morti proximus amicum, ut ipsius cor aromatis contra tabem munitum memoratæ Dominæ afferret, oravit, & obtinuit. Non ibi digni pœnitentiæ fructus dabantur?

Cruce signati, qui post captam Hierosolymam in Oriente confederant, vitam suam non solum non emendabant, verum etiam corrumpebant magis. Calore climatis, & indigenarum exemplo molles redditi nullas sibi denegabant delicias, præsertim fertilibus in locis, velut in Valle Damasci tam amœna. Eorum filii a moribus avorum longius abeuntes novam formarunt nationem Pulorum equinorum nomine merisque vitiis insignem. En honorem, qui redundavit in Christum e bellis sacris tam sumtuosis.

*Fac. Vier.
hist. Or. l. 1. c.
c. 72.*

*Cang. gloss.
Pullani.*

Denique Hierosolymam & Palæstinam ethnici suæ rursus ditionis fecere: ac expeditiones sacræ quadringentis abhinc annis cessarunt: at pœnitentia canonica in usum non rediit. Quamdiu bella durabant sacra, tenebant pœnitentiæ locum non modo apud sacros milites voluntarios, sed & apud omnes magnorum reos criminum, quos Episcopi non absolvebant nisi ea lege, ut certo tempore

*Morin. X.
pœnit. c. 25.
26.*

re in Terra sancta per se militarent, vel armatorum numerum suis sumptibus ibi alerent. Igitur post finem militiae sacrae poenitentia vetus reducenda in usum videbatur: sed isto per ducentos minimum annos interrupto facta est arbitraria. Episcopi Sacramentorum administrationis capita singula vix expendebant amplius; illorum ministri creberrimi erant Fratres Mendicantes: & hi transeuntes Missionarii directionem poenitentis, ut ejus firmitatem in vita nova progressusque, sicut Pastores proprii alias fecerant, examinerent, diu prosequi haud poterant, cum fontes brevi expedire cogerentur, ut venirent ad alios.

Præterea Theologia de moribus agens, ut reliqua, per ratiocinationes potius, quam per testimonia tradebatur in scholis: atque de rebus omnibus usque ad veritates clarissimas in contrarias partes disputabatur. Unde venerunt tot decisiones de moribus non tantum ab Evangelii puritate, verum etiam a sane ratione alienissimæ. Nam quo non abit, qui his in materiis omnem ratiocinandi libertatem sibi tribuit? Hujus autem scientiæ Professores indicandis noxarum generibus quam remediis se impendere maluerunt. Occuparunt se maxime decernendo, quid inter peccata mortifera sit numerandum, & distinctionis gratia statu-

tuendo, cuinam virtuti quodque peccatum sit contrarium, justitiæne, an prudentiæ, aut temperantiæ? Studuerunt peccata minuere, purgareque actiones plurimas, quas veteres viri minus subtiles sed magis candidi criminosas reputabant.

Prisca disciplina per sui neglectum ac omissionem oblitterata in animis est, ita ut nemo jam audeat de illius instauratione loqui. Attamen S. Carolus Catholicæ fidei eximius sane cultor animarum arbitros per excerptos Canones antiquos docuit poenitentiam, quantum fieri posset, cum peccatis commetiri. Denique Concilium Tridentinum illis, qui per peccata sua malo fuissent exemplo, poenitentiam jussit publicam imponi, cujus condonandæ copiam solis Episcopis, quoties id æquum censerent, fecit.

Seff. 24. Ref. c. 8.

§. XII.

*Expeditiones sacræ ad septem Tri-
ones.*

Inter scopos expeditionum sacrarum fuisse ethnicorum Livoniæ, Borussiæ, cæterarumque regionum Septentrionalium conversionem ad Christi fidem in transitu notavi: quæ res considerationes meretur singulares. Has conversiones per-

Hist. lib. 74. §. 6. l. 77. §. 19.

Z 4

fer-

fervorem quorundam monachorum Cisterciensium coeptas continuarunt Fratres Prædicatores: ac usque eo nihil Evangelio magis fuit consentaneum. Ut autem hi populi natura ferocissimi erant, illi, qui maximo numero permanferant ethnici, sæpe insultabant novis Christianis, qui se defendebant armatis manibus, utentes naturali jure arcendi vim, & Germanos, Polonos, cæterosque Christianos veteres ex vicinia in auxilium vocabant. Hæc adhuc omnia intra limites æquitatis continebantur secundum doctrinam S. Thomæ, quam jam attuli. Ea bellandi causa tam legitima videbatur, ut eam melius tuendi gratia instituerentur Ordines militares Equitum Christi & Fratrum Gladii postea cum Equitibus Teutonicis junctorum. Summi Pontifices militiam sacram extendunt ad istud de Religione bellum, eandemque pro eo indulgentiam concesserunt, quam pro subsidio Terræ sanctæ lato largiti fuerant.

Verum hi sacri pugiles simplice sui defensione haud diu contenti sæpe invadebant ethnicos: & quando palmam retulerant, primam victis conditionem imponebant, ut receptis, a quibus informarentur, Sacerdotibus fonte salutis tincti templa exstruerent. Cum dein pacem turbassent, ut crebro accidebat, rebel-

2. 2. q. 10.
a. 8. in corp.
Sup. §. 1.

Hist. lib. 76.
§. 30.

rebelles ac Religionis desertores vocati, hoc nomine videbantur merito compelli posse ad id præstandum, quod semel promisissent; qua in re adhuc S. Thomæ doctrina observabatur. Talis erat his magnis in provinciis fidei propagatio: Et fatendum, eam non fuisse novam. Tempore Caroli Magni non erat nulla vis illata Saxonibus Christo adjungendis: & inter tam crebras eorum seditiones frequentissima veniam impetrandi via erat baptismi acceptio.

At S. Thomas post totam antiquitatem perbene demonstrat, ethnicos quamvis domitos captosque bello non esse cogendos ad amplectendam fidem. Libenter autem hunc sanctum Doctorem huc adduco, quia nobis optimus est testis doctrinæ sui temporis. Igitur ad mentem S. Augustini, cujus sententiam affert, dicit, neminem posse credere, nisi velit, & voluntatem haud cogi: unde conficitur, externam Christianismi professionem nihil prodesse sine persuasione interna. Nam Christus dixit: *Ite, docete, baptizate!* Et: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Atque S. Paulus: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ergo non licet adultos aqua vitali abluere nisi satis informatos, ac postquam exploratum, & quantum humano modo fieri potest, com-

Ibid.

*Hist. lib. 44.
§. 45.*

Ibid.

*Matth. 28.
v. 9. Marc.
16. v. 61.
Rom. 10. v.
10.*

pertum fuerit, eos convictos secundum doctrinam, ac emendatos esse secundum mores. Hinc venerat sancta illa antiquitatis disciplina, qua sanæ Religionis candidati per tot institutiones & tam longa experimenta sacrum ad fontem præparabantur.

At quomodo erudiri aut tentari poterant Livones, Borussi, Curones, qui postridie, quam prælio superati fuerant, turmatim veniebant, petebantque baptismum, ut necem aut servitutem effugerent? Et vero, quando jugum victorum excutere poterant, ad priorem vitam ac veteres superstitiones suas reversi, abigebant, vel necabant Sacerdotes, ac templa subruiebant. Plura rei exempla vidisti. Ejusmodi homines promissa & juramenta parum tangunt, quorum vim & consecutiones haud capiunt: præsentia tantum eos movent. Hæc forsitan causa est facilitatis, qua hi populi se passim abripi postremas in hæreses: religio nunquam apud eos satis solida fundamenta habuerat. Huic exemplo jungo recentius Maurorum in Hispania.

§. XIII.

*Expeditionum sacrarum commoda
temporalia.*

Ad bella sacra harum regionum septentrionalium ut redeam, metuo, ne utilitas temporalis parem aut majorem partem quam Religionis studium ibi habuerit. Nam summi Pontifices Equitibus Teutonicis dominatum dederant summamque potestatem in omnes terras, quas ethnicis possent adimere. Non hic examino, quodnam in eas jus Papa possederit, aut quæ necessitas prefferit Equites, ut his ille, quæ armis acquirerent, adjudicaret. Factum duntaxat observo, dicoque, timendum esse, ne hi Equites suæ dominationis incrementum potius quam fidei propagationem quæsierint. Credo facile, Religiosos, qui sacram suadebant militiam, ac neophytos erudiebant, rectam intentionem fervoremque sincerum habuisse. Sed graves lego querelas de Equitibus, qui hos novos Christianos ad quandam servitutem redigendo reliquos ab amplectenda fide avertabant, ita ut per arma sua obsessent Religionem, pro qua ea sumpserant. Vide inter alia præscriptum Legati Jacobi Pantaleonis An. 1349. editum. Terræ sic ethn-

*Hist. lib. 80.
§. 2.*

Lib. 81. §. 2.

ethnicis ereptæ Boruffici tandem ac Curonici Ducatus titulum obtinere.

Hist. lib. 83.
§. I.

Etiam expeditiones pro terra sancta progressu temporis in negotia temporalia degenerarunt, quibus Religionis causa solum prætexebatur. Illæ præter regna & principatus armis comparatos producerunt effectus minus splendidos, sed solidiores, scilicet incrementa navigationis & commercii, quæ Venetias, Genuam, cæterasque Italiæ urbes maritimas fortunis cumularunt. Expeditionum primarum experientia ostendit incommoda terrestris itineris quingentarum sexcentarumve leucarum, quas vocant, occupandæ Constantinopolis & Anatoliæ gratia. Susceptum est iter marinum multo brevius: & sacri milites pro ratione regionis, e qua veniebant, in Provincia seu Saluviorum agro, in Catalonia in Italia, vel in Sicilia naves conscenderunt. In cunctis portibus navium & apparatus copia opus erat ad devehendos tot homines ac equos cum instrumentis bellicis & commeatu. Sic navigatione maris Mediterranei, quod Græci & Arabes per multa secula possidebant, potiti sunt Franci, quibus victricia sacrorum militum arma tutam reddiderant libertatem commercii, quantum ad Græciæ, Syriæ, ac Ægypti, & quod con-

sequi-

sequitur, Indiæ merces attinebat, quæ in Europam per alias vias nondum advehebantur. Hac ratione divitiis auctæ creverunt potentes Respublicæ Veneta, Genuensis, Pisana, & Florentina. Nam præter portus florentes urbium artes ac opificia amplificabant commercium.

Non autem dubito, quin tam grande *Gesta Dei*
 lucrum ad continuandas expeditiones *per Fran-*
 cras servierit: quod demonstratum cre-
 do in Veneti Sanuti opere, cui titulus: *cos.*
Arcana fidelium Crucis: ubi tantopere
 studet persuadere Papæ Joanni XXII. cu-
 randam Terræ sanctæ recuperationem: hæc enim nondum desperabatur, effi-
 reapse nulla amplius expeditio sacra illuc
 suscepta fuerit. Etiam privata commo- *Hist. lib. 77.*
 da consideratu digna erant ob grandia *§. 17.*
 sacrorum pugilum privilegia. Gaude-
 bant Ecclesiæ præsidio, securi a vexa-
 tionibus creditorum (qui nihil ab eis us-
 que ad ipsorum reditum postulare pote-
 rant) & liberi ab usuris. Erant velut
 homines sacri: in anathema latæ senten-
 tiæ incurrebat, quisquis vel ipsos, vel
 eorum bona invadebat. Et quia non- *Hist. lib. 80.*
 nulli hac immunitate sua ad retinendum *§. 4. 59.*
 bonum alienum, ad quærendam crimi-
 num suorum impunitatem, vel ad com-
 mittenda nova abutebantur, his malis
 meden-

medendi necessitatem pluribus conciliis imponebant.

Ultimum bellum sacrum executioni datum erat illud, in quo S. Ludovicus ad Deum excessit, & cujus modicum effectum videbimus. At non propterea omiffæ sunt hæ molitiones etiam post Palæstinæ jacturam, quæ viginti post annis contigit. Per totum reliquum seculum XIII, & decimi quarti partem magnam continuatæ sunt exhortationes ad studium recipiendæ terræ sanctæ, & ad decimas hunc in finem aut hoc sub obtentu colligendas, quæ in alia bella secundum destinationem summorum Pontificum & Principum auctoritatem infumebantur. Amplius est seculo, quod hic error sit depositus: ac de bello ethnicis inferendo nulla jam mentio fit præterquam in votis quorundam authorum Religionis studio magis quam sapientia insignium, & in prædictionibus poëtarum Principibus adulantium. Homines prudentes atque per experientiam præteritorum & per rationes hac in dissertatione tactas eruditi facile vident, his in molitionibus secundum temporalia æque ac spiritualia plus damni quam compendii factum esse.

§. XIV.

*Quod præstet ethnicos Christo ad-
jungere.*

Hac ultima in consideratione, quæ meum ad institutum pertinet, subsistens, assero, Christianis ethnicos non pessundandos, sed ad Christum adducendos esse. Cum is diceret se venisse bellum in terra commovendi gratia, tam contextus sermonis illius, quam ejus discipulorum agendi ratio docet, ipsum non voluisse loqui nisi de tumultu, quem cælestis doctrina sua suscitaret, & in quo tota violentia foret ex parte suorum hostium, sui que sectatores non magis resisterent, quam correptæ a lupis oves. Vera religio conservari promoverique debet iisdem adminiculis, quibus introducta fuit, verbi divini præconio circumspeditioni ac prudentiæ juncto, virtutum omnium exercitatione, ac præcipue patientia infinita. Quando Deo placebit, eis donum miraculorum addere, progressus erit celerior. Machiavellus negans Prophetas inermes unquam effecisse aliquid, impietatem pariter & ignorantiam prodit suam, cum Christus omnium minime armatus sit ille, cujus victoriæ rapidif-

*Matth. 10.**v. 34. Luc.**12. v. 51.**Matth. 10.**v. 16. Luc.**10. v. 3.**Mach. Prin-**cip. c. 6.*

pidissimæ simul ac solidissimæ fuere. Victorias tales dico, quales volebat occupans corda, mutans interius homines, ac ex malis bonos faciens: quod nullus alius populorum domitor unquam præstitit.

Bellum exteriores tantum effectus gignit, cogitque victos victoris arbitrio se submittere, ei tributa pendere, ejus mandata perficere. In materia Religionis Princeps plenissimo jure imperans potest exercitium publicum illius, quam improbat, impedire, ac suæ ceremonias externas exercendas curare; hoc est, punire illos, qui se hac in re ad ejus imperia non conformant. Nam si pœnas temporales spernunt, nihil ei superest: in voluntates directam potestatem nullam habet.

Oportet etiam deponere opinionem per multa secula nimium inveteratam, religionem in locis, ubi dominari & potestatem profanam defendi desierit, amissam esse, ut Christianismum in Græcia & Anatolia, ut fidem Catholicam in provinciis Septentrionalibus. Contra hunc errorem præmunire nos sine dubio voluit Deus, dum Christianismum sub dominatu paganorum formavit firmavitque per integra tria secula vexationes in-

ter

ter ac opprēssiones crudelissimas; certissimo argumento, Ecclesiam suam haud egere præsidio hominum, a se solo fulciri, ac terræ Principum oppositu stabiliorē purioremque fieri. Vide, quid *Hist. lib. 16. §. 2.* hac super re S. Hilarius contra Auxentium dicat!

§. XV.

Musulmannos ad Christum adduci posse.

Igitur, quod dixi, repeto: non armis & violentia minuere sectas falsas, religionemque veram propagare, nec ethnicos, sed ethnicismum fas est evertere conservando homines, & ab erroribus suis abducendo: paucis; unica via est persuasio transitionis ad Christum. Plerosque, scio, tenet opinio Musulmannos haud posse ad Christum converti: & ideo Missionarii ferventissimi eos prætereunt, ut Indis ac Sinis Evangelium promulgent. At vereor, ut hæc mentium anteoccupatio sat firmis nitatur fundamentis. Christus discipulos suos adire gentes omnes atque docere jubens excepit nullam; veteraque oracula, quæ universas nationes Christo adjunctum iritam crebro, & tam clare indicant, nul-

Hist. Ecclesiast. Tom. XXI. A a lam

lam earum distinctionem faciunt. Fieri ne potuit, ut tot & tam varii populi sub Mahometis sectam collecti, tantam orbis cogniti partem occupantes ab his promissis magnificis soli excluderentur?

Hi non sunt barbari, vagique ac dispersi, quales erant veteres Scythæ, ac hodie sunt immites Americæ incolæ; sed vivunt in societate sub certis legibus, colendis agris, artibus, ac mercaturæ dant operam, usumque litterarum habent. Nec nullum Deum, nec idola colunt: e contrario multa principia eorum sectæ quantumvis falsæ cum vera Religione communia sunt, per quæ videntur ad istam facilius perducī posse. Credunt unicum esse Deum infinite potentem, rerum omnium creatorem, iustum pariter ac misericordem. A cultu plurium Deorum & falsorum numinum maxime abhorrent. Credunt immortalitatem animæ, iudicium extremum, Beatorum sedes sempiternas, ac inferorum carcerem, Angelos malos, bonosque; immo etiam custodes hominum. Cognoscunt diluvium universale. Patriarcham Abrahamum honorant ut patrem suum & primum suæ Religionis auctorem. Moysen ac Jesum Christum pro magnis Prophetis a Deo missis; legem

impedit, ne Christi doctrina illis tradatur: nam hos Christianos miseros exterminarent, si quis illos saniora doceret. Hæc est oppositio speciosissima, quam hac de materia fieri audierim. Dubito tamen, an solida sit; & an Musulmannorum Principes, si res ad executionem spectaret, tam mali forent politici, ut magna subditorum parte sese privarent facile. Oppositio haberet vim, nisi numerus horum Christianorum esset maximus, qualis revera est, præsertim in regionibus posterius subactis, ut in Græcia, ubi Musulmannos multitudine sua haud modice excedunt.

Dum autem hos ad Christi signa ducendos assero, id cautissime agendum intelligo, sicut in principio Ecclesiæ. Non agitur de morte spernenda vel sine fructu accersenda, ut fecerent Fratres Minores, qui se Maroci ac Septæ perimæ curarunt. S. Cyprianus eos non agnovisset Martyres. Expendamus sedulo hæc divini Magistri nostri verba: *Mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ!* Hos lupos non efferate, ne prius devo-

*Hist. lib. 78.
§. 23. 44.*

*Matth. 10.
v. 16.*

devoremini, quam eos mansuefacere potueritis? Cum ethnicis agendi modum tenete prudentissimum: non eos laceffite sine necessitate, ac nolite illis loqui de doctrina mea, nisi cum ad eam auscultandam probe affectos videritis! Sed cavete pariter, ne prudentia vestra in astutam calliditatem degeneret! comitetur illam semper simplicitas & integritas, quæ meæ Religionis anima est.

Vellem proin, ut, qui fidem Muslimannis explicandam susciperent, primum linguas apud eos usitatas calle-
rent: scilicet Arabicam, quæ Religio-
nis eorum lingua est, Turcicam & Per-
sicam pro ratione regionum; ut gna-
viter legissent eorum libros, ac perbe-
ne scirent eorum doctrinam, historias,
fabulasque; verbo: ut hanc ad con-
troversiam iisdem subsidiis instructi es-
sent, quæ Patres Ecclesiæ ad impu-
gnandos ethnicos veteres habebant;
ut ante omnia se in eorum animos in-
sinuarent per veritates, de quibus no-
biscum conveniunt, veluti sunt Dei u-
nitas, potentia, sapientia, bonitas cæ-
teræque perfectiones; per principia mo-
rum, quæ illis nobiscum communia
A a 3 sunt,

funt, ut iustitia, amor proximi. Non præpropere illis memoranda essent sanctissimæ Triadis ac naturæ divinæ cum humana conjunctæ mysteria, contra quæ sunt præoccupati: oporteret antea bene stabilire authoritatem Evangelii, adimendo eis opinionem, quod hic liber, quem pro divino habent, a Christianis corruptus fuerit. Ad eximendum eis hunc errorem utiliter adhiberi possent testimonia Nestorianorum & Jacobitarum, qui viventes inter ipsos, & ducentis ante Mahometem annis a nobis separati Evangelium cæterosque libros sacros asservant nostris per omnia consentaneos.

Præcipue cavendum esset, ne in Mahometem maledicta conjicerentur, *Act. 19. v. 37.* aut ejus mentio contemptim fieret. Ipsi Apostoli nullis falsos Deos convitiis appetebant, ut expresse scriptum est de Diana Ephesi. Sed post probatam satis missionem Christi leniter exponi posset, Mahometem se a Deo missum nullo argumento demonstrasse, ac sectam ejus auxiliis mere humanis esse institutam. Forsan expediret etiam primo-

primorum Califarum Mahumetanæ sectæ capitum & quasi Apostolorum vitia exagitare, & quales homines Othmanus, Omarus, Moavia, cæterique fuerint, eorum helluationem, crudelitatem, perfidiam, ac præsertim atrox bellum Ali familiæ illatum Musulmanis in suis ipsorum historiis ob oculos ponere.

Hæc via, inquires, esset valde longa, ac etiamsi auditores haberentur dociles, multo tempore foret opus ad tractandam cum eis hanc controversiam. Assentio, vellemque, ut nostra ætas hac in re sapientem antiquitatem, ac disciplinam primorum Ecclesiæ sæculorum imitaretur, quibus tamdiu producebatur fidei tironum informatio secundum doctrinam æque ac mores, illorumque ad Deum conversio tam solícite explorabatur, antequam vitali tingerentur aqua. Denique, quid his in rebus ad usum redigi possit, judicare illorum est, qui ad Ortum iis in locis Missionarios agunt. Sed licet paucissimos a superstitionum tenebris ad veræ Religionis

HISTO

gionis lumen traducerent, hoc illorum opus Deo gratius ac Ecclesiae utilius fore censeo, quam mortem tot millium, quorum cruor in bellis sacris effusus est.



HISTO.